

An Harveian oration and other remains of John Johnstone.

Contributors

Johnstone, John, 1768-1836.
Elkington, George, Butler, Samuel, 1774-1839.
Sawyer, James, Sir
Provincial Medical and Surgical Association.
Birmingham School of Medicine and Surgery.
Royal College of Physicians of London

Publication/Creation

London : W. Nicol, 1837.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/dcpdeket>

Provider

Royal College of Physicians


License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by Royal College of Physicians, London. The original may be consulted at Royal College of Physicians, London. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



77.e.

(4)

C06.091.4



TELEGRAMS:
CONSULTANT, BIRMINGHAM.

31 TEMPLE ROW,
BIRMINGHAM.

Jan. 7-1859,

Dear Dr. Payne,

If you think this
book of Whistone's worth
having, please let me
give it to the Library
of the College.

Believe me,

Yours very faithfully,

James Sawyer.

Dr. Payne,

Harveian Librarian, R. C. P.

HARTMAN OBITUARY


George Elkington.

With Mrs. Johnstone's Compliments.

AN

HARVEIAN ORATION,

&c.



Digitized by the Internet Archive
in 2015

<https://archive.org/details/b24975266>

77.6

AN
HARVEIAN ORATION
AND
OTHER REMAINS
OF
JOHN JOHNSTONE, M.D. F.R.S.
[PRIVATE IMPRESSION.]

LONDON:
WILLIAM NICOL, SHAKSPEARE PRESS, 51, PALL MALL.
MDCCCXXXVII.



ROYAL COLLEGE OF PHYSICIANS LIBRARY	
CLASS	C06.091.4
ACCN.	21577
SOURCE	
DATE	

MEMOIR.

Dr. John Johnstone, the sixth son of Dr. James Johnstone the celebrated Physician of Worcester, was educated at Merton College, Oxford, where he graduated M. A. 1792, M. B. 1793, M. D. 1800.

He died at Monument House near Birmingham, Dec. 28, 1836, aged 68, a fellow of the Royal College of Physicians, and of the Royal Society, and an acting Magistrate for the counties of Warwick and Worcester.

For upwards of forty years Dr. John Johnstone held a distinguished station among the most eminent of his professional brethren, not only in the town and neighbourhood of Birmingham, but to a much

greater distance than provincial celebrity usually extends. Possessing great natural acuteness of mind, he was quick in detecting the nature of Disease, and in deciding on the mode of treatment, which was always simple. In forming his opinion of a Case he placed reliance on the expression of countenance and general aspect of the Patient, and while he considered nothing beneath his notice that could contribute to the physical comfort of the Invalid, he never lost sight of the powerful influence which the mind exercises on the functions of the body, and ever regarded moral treatment as of paramount importance. It was, indeed, in the general management of his Patients that he peculiarly excelled, and the ascendancy he almost immediately would gain over their minds, was frequently astonishing.

As a scholar notwithstanding his continued avocations, he was possessed of no ordinary acquirements. His memory easily

retained what his quickness led him readily to understand, and his taste to appreciate. And he had the great advantage of long years of intimacy with the most eminent scholars of his age. During forty years he possessed the friendship, and was honored with the familiar intercourse of one who shone among the first of scholars, *velut inter ignes luna minores*, the late Dr. Parr of Hatton, who resided about fifteen miles from Birmingham. He was intimate with the present Bishop of Durham, as well as with the writer of this Memoir. By the venerable and deeply learned President of Magdalen College Oxford, and by many other most distinguished scholars of that University, he was highly esteemed; among whom should be reckoned as connected with him not only by the ties of learning, but also by similarity of professional pursuits, that very elegant and accomplished scholar Sir Henry Hallford, Bart., President of the College of Physicians.

One of Dr. John Johnstone's earliest publications was a vindication of his Father's claim to the discovery of the disinfecting powers of the muriatic acid gas, which was disputed by a rival claimant, with what justice we will not attempt to decide, though it is but fair to add, that the reward was assigned to Dr. Carmichael Smyth. Certain it is that two men of talent may make the same discovery, and have their sufficient reasons for concealment of it, and we need not remind our readers how often it has happened that these discoveries were contemporaneous because the causes which led to them were so. It is however proper to state, that the following facts were clearly established by Dr. John Johnstone, that the first public mention of the respirable mineral acid gasses, as correctors of putrefaction was made by his Father Dr. James Johnstone sen. in 1758; that the second mention of them was made by M. Guyton de Morveau, 1773, that in 1779 Dr.

James Johnstone jun. recommended muriatic acid gas, as the surest means of preventing the spread of contagion, that it was not till the year 1795, that Dr. Carmichael Smyth used nitric acid gas for this purpose, nor until 1802 that he received the remuneration of the House of Commons. Filial piety was a remarkable ingredient in Dr. John Johnstone's character, and perhaps in the following description of his Father some readers will be pleased to trace the lineaments of the Son. "He was
"destined to be and he was content with
"being a country Physician. But his
"powers and his attainments are not to be
"measured by the accident of his situation.
"On the contrary his knowledge was at
"once comprehensive and accurate—his
"application both to books and to professional duties was intense—his apprehension was quick—his memory was
"retentive, his penetration was keen—his
"judgment was correct—his elocution was

“ready, copious, and energetic—his practice was long and extensive—his employers were numerous and respectable, and in the catalogue of his private friends he had the honor to recount the names of men eminently and deservedly distinguished for elegant taste, for classical erudition, for deep researches into all the various branches of philosophy, which are intimately or remotely connected with the study of medicine.”* Besides this Dr. John Johnstone published the following Pamphlets and Treatises connected with his Profession—“Essay on Mineral Poisons,” in 1795—“Medical Jurisprudence on Madness, with strictures on hereditary insanity, lucid intervals and the management of Maniacs,” 1805—“Oratio Harveiana,” 1819. But his principal literary work is the life of his revered friend the late Samuel Parr LL. D. written with great vigor and feeling,

* Page 271 of the reply to James Carmichael Smyth.

full of interesting literary anecdote and scholarlike research, and free from that slavish timidity which fears to acknowledge the failings of humanity in the subject of its panegyric ; Dr. Johnstone's life of Dr. Parr is a fearless, manly and noble specimen of biography, putting to shame the meagre attempts of those puny scribblers who have sought to write themselves into ephemeral notice, by the celebrity of the great name with which their own may be thus temporarily associated. Dr. John Johnstone was not only by his long intimacy, his liberal politics and enlarged views, of all men the best qualified to write the life of his illustrious friend, but by his own taste and learning was enabled to appreciate that of so eminent a man ; for he was not like some persons of quick intellect, esteemed clever in general society, but could maintain his place as a scholar among scholars, a case not so frequent as some may imagine, even among those who have credit for consider-

able advance in literature. In his political principles Dr. John Johnstone was a sound and inflexible Whig ; yet while firmly attached to the constitution, and opposed to the encroachments of arbitrary power on the liberties of the people, his loyalty to his sovereign was never shaken by popular clamors or revolutionary excitement.

As a friend, the warmth and fidelity of his attachments, the kind and cheerful alacrity of his exertions on all occasions where his exertions could be useful, the high and honorable tone of his advice and counsel, and the interest and delight with which he contemplated the success of those for whom he felt regard are such as are beyond all praise. He was above all feelings of jealousy towards his professional brethren, and must have been conscious that he had a right to be so—

“No black envy can mark his grave.”

In private society he was lively and agreeable, instructing it by his talents, animating it by his cheerfulness, and refining it by his taste.

To mention his abhorrence of falsehood, dissimulation, and meanness would be almost an insult to the character of a man whose feelings and actions were governed by the strictest rules of honour and integrity. If his ardent temperament and keenness of perception led him sometimes into expressions of excitement, the purity and rectitude of his own mind must be taken into account, and indulgence given to those human infirmities of which the very "frailties lean to virtue's side." In his religious principles he was tolerant and liberal, but was himself a member of the Church of England, and in his last hours frequently repeated his strong trust in the merits of his Redeemer. The loss of such a man will be long and deeply felt by his family and surviving

friends, who were the best judges of his private worth; by his professional brethren by whom his merits were justly appreciated, and who, in their Royal School of Medicine established at Birmingham, of which he was a zealous friend and promoter, and the Vice President, have paid the most ample and honorable tribute to them; and by the inhabitants and densely peopled neighbourhood of Birmingham, as well as the extensively surrounding district, where his medical skill and talents were constantly in request, and his memory will long be duly cherished. In his private life he was happy in the domestic affection and attention of his excellent Wife, and her two amiable and accomplished daughters, both of whom he had the happiness of seeing early married and settled near him. The elder to the Rev. Dr. Hook, the present Vicar of Leeds, formerly Vicar of Trinity parish Coventry, Chaplain to the King, and Prebendary of Lincoln. The younger to the Rev. Henry

Clarke, M. A. Chaplain to H. R. H. the
Duke of Sussex, Rector of Northfield, and a
Magistrate for the county of Worcester.

S. LICHFIELD.

Butler

Chapter

THE HISTORY OF THE
CITY OF BOSTON
FROM THE FIRST SETTLEMENT
TO THE PRESENT TIME

BY

JOANNIS JOHNSTONE, M. D.

COLLEGII MEDICORUM LONDIN. ET SOCIETATIS REGALIS SOCII,

ORATIO HARVEIANA,

MDCCCXIX.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

CHICAGO, ILLINOIS

1961

COLLEGII REGALIS MEDICORUM LONDIN.
PRÆSIDI CLARISSIMO SOCIISQUE ORNATISSIMIS,
REI MEDICÆ
CULTORIBUS, PATRONIS, VINDICIBUS,
HANC ORATIONEM ANNIVERSARIAM
HABITAM
EX HARVEII INSTITUTO
IN EORUM COMMEMORATIONEM QUI SUA IN HOC COLLEGIUM
BENIFICENTIA CLARUERUNT,
DIE XVIII OCTOBRIS MDCCCXIX
EA QUA PAR EST OBSERVANTIA
L. MM. D. D.
JOANNES JOHNSTONE.

SI Medicina ipsa, hoc in loco, suam agere causam potuisset,* neutiquam ea nostram in dicendo diligentiam requireret. Suâ enim sponte, et suo more ac modo, alumnos qui de ipsâ optimè meruissent, copiosè atque ornatè collaudaret. At vero, cùm id fieri posse rerum humanarum conditio non

* Poggii oratio in funere Nycholai Nicoli.

patiat, pio et solenni more, ex Harveii instituto, hodie convenimus. Id quippe officii nostri potissimum est consilium, ut quæ majoribus nostris aut sapientissimè fuerint inventa, aut faustè aut prosperè ad salutem hominum conservandam comprobata, in memoriam revocemus.

De antiquæ medicinæ historiâ, et medicorum præmiis antiquorum, non est cur in hoc consessu accuratè aut effusè disseram. Legimus profecto apud Ægyptios, reges aliquot inter Æsculapii filios esse annumeratos. Ecquis autem vestrûm ignorat, honores Hippocrati publicè habitos apud Græcos, atque adeo quotidianum ei victum in Prytanæo esse concessum? Unâ id quidem mente, unâque voce, nosmetipsi confitemur verissimum esse, quod de Hippocrate scripsit Galenus, ὅτι ἄριστος ἰατρος καὶ φιλόσοφος.

Diu multùmque apud Græcos floruit me-

dicina. Romanorum autem in re militari occupatio, parum illis otii ad scientias excolendas, multos per annos relinquebat. Postea, Domini terrarum facti, ad artes humaniores operam suam conferebant, et medicinæ Professores civitate identidem donabant. Nec vero inter nostrates defuit vir,* cum ingenio et doctrinâ, tum dignitate insignis, qui Virgilium crederet Antonium Musam in oculis habuisse, cùm Iopam in Æneide suâ pulcherrimis præconiis exornaret. Testimonia autem hujuscemodi missa faciamus; neque enim falsa aut inanis esse potest ea fama, quam omnes fere gentes, et omnes hominum ordines medicis esse debitam consenserint.

Scholâ quæ Alexandriae diu viguerat, tandem aliquando vi armorum deletâ, medicina inter Arabas fere solos sedem habuit. Atqui ex epistolâ Renaudoti ad Dacerium conscriptâ, liquidò patet illum nimium tri-

* Atterbury, Diss. on Æneid.

buisse litteris orientalibus, quisquis spopondisset illas conferre aliquid posse ad Hippocratis interpretationem: Honāinum fere solum esse interpretem, e quo Arabes quicquid præclari haberent, in re medicâ haussissent, et a sæculo usque decimo quinto, cùm Scriptores Græci et Latini in suâ quisque linguâ evolvi cœpissent, vix unum et alterum inter doctos repertum esse, qui Hippocratis, Galeni, Dioscoridis versiones neptas, ex Arabicis factas, adire voluisset.

Si conjecturam facere liceat de veteri nostratium medicinâ, verisimile est, hanc artem eandem quam cæteræ, fortunam iniquam illam et calamitosam esse expertam. Gens utique Vandalorum impia atque horrida urbes invaserat, et quicquid esset vel Philosophiæ, vel Litterarum humaniorum, effrænatae violentiæ impetu oppresserat. Ferunt tamen, hisce in tenebris, tenues hic illic medicæ artis igniculos posse reperiri. Rosa nimirum Anglica Joannis de Gades-

den, Mertonensis, Rosa Gallica et Margarita pretiosa Symphoriani Champerii, summo honore dignabantur. Suam tamen laudem, his paullo vetustior, schola Salernitana meritò sibi vindicat.

Quod ad Patriam nostram attinet, non dissimulandum est, per multa retro sæcula, artem hancce nostram penitus exulasse, aut in monachorum claustris delituisse. Magnam istam, quæ ubique dominabatur, ecclesiæ potentiam, nemo est qui nesciat! Inde factum est, ut ex arbitrio Episcopi Londinensis et Ecclesiæ Divi Pauli Decani, penderent privilegia, quibus omnes qui Londini medicinam facerent, tenerentur. Cæteri item Episcopi, suâ quisque in Diœcesi eandem habebant jurisdictionem; ita ut, qui ad spinosa et exilia Theologiæ et Dialectices studia sedulò incubuissent, penes eos de salute vitæque civium, obscurâ spe, et cæcâ expectatione, decernendi esset potestas. Alia, interea, et quidem graviora

medicinæ studiis fuerunt impedimento. Alii enim quibus cordi nummos undecunque conradere, id unicè agebant, ut machinæ, fallaciæ, præstigiæ suæ, rudi et indocto popello perplacerent : aliis farrago multiplex hypothesium in deliciis fuit. His igitur de causis fieri non potuit, quin manca et imperfecta esset rei medicæ disciplina. Tam mirum in modum grassabatur empiricorum audacia, tam crassa fuit in quâ versabantur morborum ignorantia, tanta fuit per urbes oppida et agros senum juvenum et puerorum ægrotantium strages, ut stupore et metu Aula Regia Senatusque percellerentur. Eo demum res rediit, ut omnes qui inter Academicos vel Oxonii vel Cantabrigiæ nomen suum haud professi essent, leges interminarentur, ne ægros sibi sanandos susciperent.

Hasce inter tenebras, lux faustè atque ex insperatò majoribus nostris affulsit. Linacrus enim, medicorum facile princeps, dig-

nus judicabatur qui regiæ domus sanitati præesset. Diu evanuerat, uti probè novit, *Ἱερα βίβλος* in quâ regulæ erant præscriptæ, quibus Ægyptiorum medici in morbis curandis tenebantur. Regia illa bibliotheca, quæ Alexandriæ quondam inclaruerat, acerbissimo incendio conflagraverat.

Scientias tantum non ad internecionem deleverant Saracenorum amentia et furor. Grave servitutis jugum Græcos opprimebat, et unâ cum libertate, quicquid utile aut pulchrum aut honestum doctrina secum afferat, oblivione erat prorsus obrutum. Tenebri-
cosum igitur Linacro instruendum erat iter. Sperans tamen reliquias medicinæ in Latio perfugium quoddam invenisse, illuc se contulit. Romæ et Florentiæ doctissimorum virorum consuetudine familiariter usus est. Insigni apud Laurentium de Medicis gratiâ valuit. Redux, et optimorum amicitiam et Principis favorem conciliabat. Illiberale autem et in honestum cùm existimaret, sibi

soli vivere, nihil prius aut antiquius habuit, quàm ut gratiæ, quâ apud duos Reges pollebat, in artis suæ commodum atque ornamentum, fructus redundaret. Duce igitur et auspice Linacro, Collegii nostri jacta sunt fundamenta. Probè is quidem intellexit, quid commune quoddam vinculum studiorum, in excitandâ hominum industriâ, et in ingeniis acuendis efficere soleat. Instituto huic suo ne dignitas deesset, privilegiis societatem nostram ornavit. Multos per annos Præsulis officio functus est, ædesque suas testamento legavit. Prælectiones item Oxonii duas, Cantabrigiæ unam, stipendiis locupletavit. Voluit nimirum, hæc quasi præsidia esse collegii, quod se vivo, et suam opem præbente, amplam posset segetem gloriæ et utilitatis, medicinæ suppeditare. Voluit easdem certa quædam esse testimonia, unicam se velle ad medicam artem exercendam, per Academias muniri viam. Linacrum et ingenii viribus et literarum peritiâ magnam sibi famam com-

parâsse, neminem fallit, qui politio-rem doctrinam primoribus tantum labris delibaverit. At medici necesse est pio gratoque animo secum reputent, primum inter Anglos fuisse Linacrum, quia, multiplici eruditione eruditus, ad morbos sanandos se contulerit, primum qui familiæ nostræ stabilem sedem comparaverit, primum qui legibus, consiliis, et donis sapienter munificèque effecerit, ut inter artem nostram et doctrinæ, atque humanitatis studia, arctissimum consortium intercederet.

Nullus equidem dubito, quin omnes, qui in Fundatorum nostrorum alvo primas Linacro deferunt, Caium debere in secundis consistere, agnitori sint. Mira quædam suavitas et delectatio, animos nostros, necesse est, deliniet, quoties similitudinem, quæ Caio fuit cum Linacro, contemplamur. Peregrinas enim regiones uterque eorum invisit. Viris qui in Italiâ, omnium magnarum rerum atque artium scientiam con-

secuti erant, vel monitoribus vel sociis uterque usus est. Litteras humaniores uterque in patriam indoctam atque agrestem intulit; parfuit utrique vis ingenii—idem studiorum tenor—idem apud illustrissimos principes favor—eadem erga rem medicam benevolentia. Quod Linacrus olim bonis avibus fundaverat collegium, idem illud multis emolumentis Caius amplificavit. Præsidis officium, quo magnâ cum laude Linacrus antea functus erat, Caius pari sapientiâ, et pari in suos studio et amore, gerere non dedignatus est. At ne illud quidem silentio prætereundum est, quod collegii a Gonvillio fundati annales, lucido ordine et purissimo sermone digessit, quod reditus ejusdem liberalissimè auxit, quod nomen suum posteris laudandum ita reliquit, ut Gonvillii famam ab oblivione vindicaret. Hippocratem ferunt pestem quæ Athenis sæviebat operâ suâ profligâsse. At æquo jure Caius de se gloriari potuit, quod ἰδρωῶ-πυρετὸν istum epidemicum, latè longèque grassan-

tem, animo ad pericula prospicienda et propulsanda sagaci refrænavit.

Vivente adhuc Caio, *Caldwallus* faustis sub penetralibus, Oxonii innutritus, societati nostræ sodalem se adjunxit. Lumleium, ut in ea ornanda sibi adjutor esset, studiosè et enixè persuasit. Prælectionem Chirurgicam in Collegio nostro instituit, e quâ tanquam ex fonte quodam abscondito leniter fluente, primùm scientiæ rivulos consecratus est Harveius. Quoties autem de Caldwallo loquimur, dignum memoratu est, medicum huncce egregium, Baconi scriptis jam incognitis, principium illud inductionis, ut aiunt, in re Anatomicâ, suo marte arripuisse.

Jure ni fallor, eo nomine Mertonenses mei lætantur, quod e Collegii sui gremio profectus, acumen et industriam suam Anatomiae explicandæ adhibuit *Gulstonus*. Græcè is quidem et Latinè eruditus fuit.

In scriptis Galeni atque Aristotelis interpretandis, diligentissimè operam navavit. Aliis autem ut ad pleniorè Anatomiae scientiam via minus inculta, et frondibus atque virgultis minus interclusa pateret, ad Prælectionem Pathologicam constituendam, plurimum et laboris et pecuniæ insumpsit.

Ad *Harveium* se tandem aliquando oratio mea convertit. Sæculo suo ut moris erat, Paduam is adivit, quâ in urbe scientiarum temporis florebant. Quicquid a Medicis, quorum fama maximè eminebat, edisci potuit, penitus perspectum et conditum habuit. Rem autem Anatomicam, quæ in cunabulis antea delituerat, ipse sensibus et experientiâ petendam sibi arbitratus est.

Magnam certè admirationem id habet, quod usus cordis, et vehemens per totum corpus sanguinis motus, divinum Platonis ingenium haud omnino fugerat, ut vero hæserat ipso in limine, nec legum quas na-

turæ sequitur, nec volam nec vestigium invenit. Galenum porro, cùm arteriarum venarumque ἀναστομώσεις, et cursum quo sanguis ab arteriis in venas transmittitur, quod in se fuit, describeret, sunt qui putent depinxisse circuitum τοῦ περιφερομένου σφοδρῶς αἵματος. Longo autem intervallo ab Harveii doctrinâ, Galeni sententiam distare, nemo est qui negaverit. De circuitu quodam sanguinis per pulmones, Michael Servetus quidem signa quædam veritatis imperfecta adumbravit. Avidè hæc arripuit Realdus Columbus, et a se primùm reperta jactitavit. Falsis horum aut certè obscuris opinionibus pauculas quasdam appendiculas jejunè et exiliter Andreas Cæsalpinus addiderat. Res tamen diu fluctuabat, nec, qui arte et viâ eam tractâret, unus et alter repertus est. Nullum igitur Harveius cùm haberet nec πρόδρομον nec σύνεργον, ad naturam investigandam se accinxit. Hac autem duce, cautè et pedetentim in penetralia veri abditissima viam sibi aperuit. Cultro

armatus anatomico, et suâ cum industriâ tum sollertiâ fretus, sanguinem comperit per arteriarum ductus, vel minimas corporis partes irrigare. Quod cùm factum sit, per alios canales ad cor, è quo primùm effluxerit, referri. Harveii hoc invento, nihil ad medendum utilius esse potuit, nihil ad laudandum uberius. Profectò experimentis suis et præceptis, medicus ille egregius, posteris tanquam filum quoddam dedit, quo per cæca et flexuosa itinera ad morbos qui se maximè occultant, et humanum corpus sensim atterunt, detegendos atque levandos ducerentur. Facem præterea humano generi ad hanc gravissimam sententiam prætulit, vitam ipsam quâ fruimur non nisi sanguinis quendam fluxum esse in orbem acti, cujus utique motum quicquid deturbaverit, morbum afferre, — quicquid planè impedierit, ad exitium ægrotantem perducere. Locum huncce cùm aspicimus, suavissimam habemus recordationem, intra parietes hosce, Harveium Præsidis functum

esse officio : scientiæ eum suæ hîc amplissimos thesauros sæpe et sæpius inter docendum deprompsisse—juvenum qui aderant frequentiam ad studium medicinæ præceptis et monitis excitâsse ; laudibus et præmiis allexisse ipsos etiam senes, ut doctiores discederent effecisse, et quid Solon de se ipso prædicavit, “quotidie addiscentes conescerent.”

Inter alias Harveii virtutes, minimè prætereundum est, misericordiâ illum et humanitate imprimis fuisse præditum. A Celso is quidem acceperat, “placuisse illis qui rationalem medicinam profiterentur optimè ab Herophilo et Erasistrato factum esse, cùm nocentes homines a regibus in carcere acceptos, *vivos* inciderent.” At vero melius a Celsi partibus stetisset, qui etsi mortuorum cadavera dissecare discentibus necessarium esse agnoverat, vivorum corpora incidere, et supervacuum quiddam et crudele esse statuit. In animalibus etiam

dissecandis Harveio lenitas sua haudquam defuit, nec dubitandum est quin ei res tetra, misera, detestabilis videretur mos iste pervulgatus quorundam homuncionum, qui ut sollertiam suam ostentent, canes, feles, mures, ranas, cuniculos, atque etiam pisciculos, diutinis et acerrimis doloribus discruciant. Enimvero haud scio, an in istos Lanios meritò cadat, perpetuum illud notumque de morituris Caligulae praeceptum, “ita feri, ut se mori sentiant.”*

Neminem ego vestrū ignorare arbitror Sylvium Anatomiae Professore hominem sermone olim celebratum fuisse, et in sepulchro ejus hosce versiculos esse inscriptos :

“Quem certā methodo medicis de rebus agentem,

“Assiduè in ludo, totius principe terræ,

“Mille acri assiduè spectabant lumina visu.”†

Cū ventitantibus ad eum ex omni Europā

* Suetonius in vitā Caligulae, § 30.

† Renatus Moreau in vitā Sylvii. Bayle Dict.

discipulis multam argenti vim in loculos depossuisset, magnas inter opes, eum qui inopem deceret victum, eas vestes, id domicilium elegit, ita ut famam ejus vivi mortuique foedissima inquinârit avaritia. Vesalium porro discipulum suum eximium, ut benevolentia amplexaretur tantum abfuit, ut eum maledicè contumeliosèque Vesanum appellaret. At Harveii nostri longè alia mens fuit, aliique mores. Siquos auditores ad discendum minus habiles videret, candidè eos et blandè admonebat, ne diligentia multum proficiendi spem abjicerent. In quibus autem splendidior quædam significatio ingenii eluxisset, eos præceptis atque iteratis laudibus incitabat, ut in studio semper cognoscendi aliquid quod utile et honestum esset, animum suum defigerent, et vires suas omnino omnes excuterent. Experimentia is quidem sua exploratum habuit, quàm vera sit veterum philosophorum opinio, “fructum ingenii, virtutis, et omnis præstantiæ tum maximè capi, cum in proxi-

mos conferatur.” Harveius autem nonne medicos in propinquorum loco duxit? Nonne Collegio huic nostro pecuniam satis amplam testamento reliquit? Nonne Bibliothecam, suis impensis comparatam, in æqualium suorum et posterorum usum dono dedit? Solennem hunc diem idem ille, eâdem in medicos benevolentîâ, instituit. Quoniam parvâ in pecuniâ homines sæpe inspiciuntur quàm sint sordidi, ne oratorem quidem suum passus est præmio carere. Suo etiam sumptu fieri jussit accubitionem illam amicorum, quæ, ut Ciceroni visum est, “a Romanis nominabatur convivium, melius quàm a Græcis, qui hoc idem tum comportionem, tum concœnationem vocâssent.” Non Siculas ille dapes, quæ Regibus conveniunt, nec cœnam quæ Asotis cordi est dubiam, medicis suis apponi jussit. Id enim ei consilium fuit, ut colloquio fruerentur libero, jucundo, honesto—ut quicquid in pectore singulis de arte suâ clausum esset, id in linguâ promptum haberent—ut vineta

cæderent sua—ut alios si quâ in re, ut in morbis sit, paululum lapsi essent, peramanter perque officiosè corrigerent, et in dignitate artis suæ tuendâ idem omnes vellent, atque idem nollent. Absit igitur verbis meis invidia, si, salvo pietatis jure, dicere ausim Harveium, quodammodo Redemptoris sui memorem, voluisse hanc suorum discipulorum quasi tesseram fore, τὸ φιλεῖν ἀλλήλους.

Magnâ necesse est voluptate animi nostri perfundantur, cùm ad gradus quibus ars Anatomica fere ad summum evecta sit, intelligenter et attentè respicimus. Cultrum illum medicum, ut primus tractaret, Caio contigit—manibus deinde Caldwelli et Gulstoni creditus est—Harveio tandem commissus, viam, quæ ad Naturæ consilia investiganda rectè ducit, tutissimam latissimamque aperuit. Enimvero illi medici, ut cum Lucretio* loquar, Lampada veritatis suo quisque successorì tradidere.

* Et, quasi cursores, vitæ lampada tradunt. l. ii. v. 78.

Theoriam de sanguinis circuitu generalem, omnibus fere numeris absolutam, et perfectam, meditando extudit Harveius. At non dissimulandum est, magnum Scientiæ cumulum ad celeberrimum ejus inventum postea accessisse. Jecoris quæ potissimum sint officia, et quo modo bilis splendida separanda sit, accuratè nos edocuit *Glissonius*.

Nunquam a nobis, nisi amicè et honorificè, nominandi sunt *Lowerus* et *Willisius* ; hic, qui interiorum cerebri structuram dilucidè exposuerit, nervorum fila penitus ab intimo ortu repetiverit, et diverticula eorum flexionesque per totum corpus sedulo exploraverit ; ille, qui admirabilem cordis fabricam, et vim illam e quâ vita pendet muscularem sollertissimè descripserit.

Dictu difficile est, quantum *Hamæi* et doctrinæ et munificentiae debeamus ; ædes quippe nostras, sub hastâ infelici positas,

lubentissimè redemit. Nosocomia amplissimis stipendiis ditavit. Cœnaculum, eâ quæ omnem ejus vitam ornaverant munificentîâ, instruxit; prædia deinceps amœna et fructuosa, Collegio, quod vivus pene ab interitu vindicaverat, moriens legavit.

Ne in laudibus *Sydenhami* persequendis multus essem, oratorum qui me antecesserunt plurima et præclara effecerunt præconia. Quis autem mente tam inhumanâ unquam fuit, ut cùm viri illius celeberrimi scripta lectitaret, ipsum scriptorem non affari, atque etiam appetere videretur? Quid de ægrotantibus ipse aut sentiret, aut prorsus ignoraret, non angustè aut exiliter, sed oratione in quâ inest sine fūco veritatis color, enarrat. Etsi res vel maximas summâ animi ratione comprehenderet, ne minimas quidem prætermittendas esse existimabat. Pari candore animi, parique modestiâ, quæ male, quæ bene sibi cesserint, in conspectu nostro ponit. Nihil erat, cur diligentîæ,

fidei, sagacitatis, ulli aut veterum aut recentiorum medicorum, palmam deferret. At fama ejus, diuturnitate ideo non evanescet, quod nemo esset illo neque integrior, neque sanctior; nemo dignior, quem et amore simul et reverentiâ prosequamur; nemo quem medici omnium gentium atque omnium sæculorum, non modo ad laudandum ornatè sed diligentissimè imitandum, cum fructu majore sibi proponere potuerint.

De *Whartono*, *Mortono*, et aliis bene multis, qui olim audiebant* viri Anatomiae et Medicinæ periti, sæpe oratores vestri, hoc solenni die, justos honores persolverunt. Ne autem vocis meæ bona pars omnino desideretur, faciem illis dico fuisse non omnibus unam, nec tamen ita diversam, sed qualem decuisset esse hominum, qui esse ex eodem genere nati, ad Harveium respex-

* Sic recte vivis, securus esse quod audis.

issent, tanquam sanguinis sui ultimum auctorem.*

Multùm, diuque in optimorum civium flore *Radclivius* versabatur. Rerum quas natura in profundo abdiderat, ignorantiam suam minimè dissimulavit. In præjudicatas hominum opiniones, et magistrorum verba clarissimorum, sine ullo discrimine jurare, indignum se statuit. Medicorum quorundam inter se disputantium, perversam et præposteram sapientiam aspernatus est. Scientias is quidem, ut perhibent, fere omnes qui apud medicos in honore esse solent et debent, ne ad limen quidem salutaverat; quod autem alii plurimis doctrinæ instrumentis adjuti vix assecuti sunt, id *Radclivius* vi acuminis sui propriâ efficere potuit. Hinc ad naturam observandam totum se contulit. Siquâ ex parte eam languescentem videret, cautè et leniter reficiebat—si nimiâ eam cibi

* Tu sanguinis ultimus auctor.—Virg.

copiâ laborare, aut in præcipiti stare a febrium æstu, omnis in eo erat, ut, nullâ morâ interpositâ, morbi violentiam reprimeret. Pusilli autem et illiberalis animi esse statuebat, litteras humaniores, quas ipse haud excoluisset, contemnere, et pro nihilo ducere. Hac de causâ Bibliothecam extruendam curavit splendore et magnificentiâ planè regiam, nec nisi cum sedibus musarum sacris interituram. At aliam, ni fallor, Radclivii nomen commendationem ad gloriam habet, siquidem molem illam in cœlum assurgentem, quam uberius rei litterariæ subsidium, et perpetuum artis suæ ornamentum, medicus esse voluit, orator Lewisius* qui medicinam faciebat summâ verborum elegantiâ commemoravit.

Proximum a Radclivio locum, ne Radclivio quidem ipso repugnante, suffragia nostra *Meadio* jamdiu concesserunt. Quot

* Oratio "on opening Radcliffe Library."

ille cum morbis, et præcipuè iis qui ex venenis et peripneumonico et hydropico genere sunt, conflictatus est, et victoriam sibi gloriosam consecutus? Quali diligentia ad artes fere omnes ingenuas incubuit? Quanto pretio quicquid in nummis antiquis, quicquid in imaginibus, cum liquidis coloribus, tum c saxo factis, quicquid in libris manuscriptum exquisitum fuit, per omnem fere Europam perscrutandum esse jussit, et in *κειμηλία* sua reposuit? Quot viris a doctrina ornatis, et amicis, et convictoribus usus est? Quantam denique expectationem sui, et in se favorem apud Radclivium, acerrimum illum quidem, sed æquissimum ingenii judicem, excitavit? Bonum Latinitatis auctorem fuisse Meadium, nemo est, qui præfractè negaverit. Sed in patrio ejus sermone naturalis quidem inest non fucatus nitor, ut illum in societate hominum, qui ad summam amplitudinem pervenissent, liberaliterque educati essent familiarissimè versatum fuisse, liquidò pateat.

Probè scimus in *Freindo* omnia præclara extitisse, cùm ad eximiam ejus naturam scientiæ conformatio accesserit. Græcis in litteris quantum profecisset, commentarii ejus in Hippocratem, et egregiæ emendationes, fidem faciunt. Qui Latinè sciant, in oratione ejus Harveianâ, in Emmenologiâ, et Medicinæ historiâ, solidam et expressam doctrinæ effigiem admirandam esse prædicant. Chemiæ leges accuratè concinnavit, et magnâ perspicuitate argumentorum exposuit, quo demum modo ea, cum arte medicâ, ad salutem hominum conservandam, amicè conspirare possit. Scire autem suum cùm nihili æstimaret, nisi idem alii scirent, sententias è penu locupletissimo apertè libenterque exprompsit. Eo autem nomine, auditores unicè, nobis gratulandum est, quod jura nostra, sarta tecta integraque, esse voluit—quod privilegia nostra amplificavit, et majoribus nostris ei faventibus legem tulit, quâ cautum est, ne cui sedes hic loci pateret,

nisi in Academiis nostris optimis artibus vacâset.

De exquisitâ et reconditâ *Laurentii* doctrinâ quæ opinio vestra fuerit, tum demum extra omnem dubii aleam posuistis, cùm, vestro omnium consensu, vita *Harveii* ad scribendum ei commendata et concredita est. Nec vero spes quæ animos vestros tenuit de eruditione ejus et ingenio, ullâ ex parte vos fefellit. Tanta est enim in *Harveii* virtutibus et inventis depingendis rerum ἐναργεία, tam incorrupta sermonis integritas, tam numerosè cadens circuitus continuatioque verborum, ut, inter legendum, *Laurentius* pene solus Latinè scribere videatur. Haud mediocrem fructum afferre possunt præclaræ ejus de cerebro lectiones, quibus in conficiendis simplicem illam *Celsi* orationem, tanquam pulcherrimum in dicendo exemplar, sibi proposuit. Disputationem de *Hydrope medicam*, studiorum *Laurentii* primitias fuisse crediderim. Multa de rationali medicinâ,

de empiricâ, deque partibus in quas rationales abiissent diversis, acutè eleganterque præfatus, “Harveium, Entium, et Hamæum, medicos sæculi sui celeberrimos, atque familiaritate inter se conjunctissimos, quasi loquentes induxit;” ita ut Entius et Hamæus rogandi, Harveius respondendi partes susciperent. Quicquid de causis, signis, differentiis, et curationibus Anasarcae, Ascitis et Tympanitis, a Laurentio scriptum est, sagacitatem illius in observandis et depingendis morborum naturis magnam fuisse satis superque evincit. Sæpenumero equidem dolui, opus illud egregium è conspectu medicorum pene evanuisse, vix enim unum et alterum novi qui id oculis usurpâset. Næ, de civibus suis, et Laurentii fautoribus bene meruerit, quisquis illud denuo imprimendum curaverit! Quod autem de Nicholsii opinionibus et scriptis magnâ industriâ ad umbilicum perduxit opus, Laurentium et Anatomiae et naturalis quæ dicitur Philosophiæ principiis

penitus imbutum fuisse, insigni perpetuoque est indicio.

Quis est vestrûm auditores, qui non caritate aliquâ et benevolentîâ *Bakeri*, quem nunquam viderit, memoriam usurpet? At enim cum nonnullis vestrûm optimè actum est, quòd vultum habitumque hominis intueri vobis contigerit. Equidem tantam ego meam infantiam esse confiteor, ut ne adumbrare quidem possim, aut insignia et lumina, quibus orationem suam variavit, aut sonantia ejus verba, et clausulas summo artificio orbem suum conficientes. Quòd si et multis et eruditis ejus sociis credendum est, Bakerus non modo in civium oculis virum se præstitit magnum, sed intus domique nunquam non fuit suorum amantissimus, et a suis, ut qui maximè diligendus. Quantis porro studiis juvenum, senectus ejus stipata est? Qualis in eo inerat morum comitas? Quanta rerum ad medicinam pertinentium cognitio? Quæ in scriptorum Græcorum et

Romanorum sententiis atque verbis recordandis, facilitas? Qui, in recitandis, ardor mentis? Quod, in explicandis, ingenii acumen?

Equidem Bakerum, Freindum, Laurentium, atque alios ingenti literarum humanarum amore percussos fuisse, lætè confidenterque dixi. At ne quis vitio nobis vertat, quòd scripta quæ Atheniensium aures teretes et religiosæ olim comprobârunt, ad nostras cum suavitate affluunt et illabuntur—quod historicorum, poetarum, et oratorum veterum reliquias nocturnâ manu versamus et diurnâ—quòd criticorum ἀκριβεία καὶ ἀγχινοία insignium opera, uti a Jurino et Musgravio factitatum est, nonnunquam legimus—quòd studia hujuscemodi, cùm negotiis non impedimento sint, otium suppeditant, quòd utile dulci admiscent, quòd animis nostris solitudine oppressis, aut tædio languescentibus, solatium præbent—quòd mores nostros sensim emolliunt, et scriptis etiam nostris, ex-

quisitarum sententiarum copiam, et numerosam quandam verborum concinnitatem, affundunt. Enimvero de hisce doctrinis dici id potest, quod a Celso* luculentè dictum fuit de naturæ rerum contemplatione, eas nimirum, “quamvis non faciant medicum, aptiorem tamen medicinæ reddere profectum.”

Tales cùm fructus litteræ humaniores secum afferant, ecquis vestrûm est, qui risum tenere possit, quoties in Catonis ad filium scribentis, stomachosa hæc et submorosa in artem nostram convicia inciderit: “Dicam de istis Græcis,” inquit, “quid Athenis exquisitum habeam, quandocunque ista gens suas litteras, omnia corrumpet, tum etiam magis, si medicos suos huc mittat.” At enim Catonem ipsum in hac causâ confitentem habemus reum. Nimirum ut Cicero nobis auctor est, laudat ille Solonem, “qui se

* In Præf. Plinii Nat. Hist. lib. xxix.

quotidie aliquid addiscentem senem fieri dixisset, idque a seipso factum gloriabatur, qui non modo Græcas litteras senex didicisset, sed quasi diuturnam sitim explere cupiens, in iis elaborâsset.” De Sen.

Quod ad medicinam ipsam attinet Plinius bene nos monet, damnatam esse a Catone, non rem utilissimam, sed artem nimis quæstuosam ; commentarium porro eum scripsisse, quo filio et servis familiaribus mederetur ; ipso denique suasore, cùm Græci Italiâ pellerentur, exceptos esse medicos.

Pio necesse est gratoque animo *Heberdeni* multas et eximias virtutes collaudemus. Nunquam is sibi incessum aut vultum finxit, quo gravior videretur. Nunquam quod habuit e doctrinis, quarum maximè studiosus fuit, ad popellum captandum, in aperto et propatulo collocavit. Græcè et Latinè scire, jam inde ab adolescentiâ, enixè studuit. Cum Cantabrigiensibus igitur suis, Mid-

dletono, Jortino, Marklando, Batemanno, Tayloro, Bakero, Battæo, Askeuo, Tunstallo, Rossio, et Fostero, summa ei familiaritas semper fuit. Medicinam per multos annos ita exercuit, ut nemo unquam in eo vel prudentiam, vel industriam, vel fidem desideraverit. In libro autem qui incudi ab ipso sæpe redditus erat, et post mortem, uti ipse jusserat, prælo commissus est, animus senis tanquam in pictâ tabellâ clarissimè plenissimèque ante oculos legentium positus est. Non est cur dissimulem, sæpiusculè mihi opus illud legenti, in mentem venisse Hippocratis, cujus quidem verba haud ineptè ei præfigi potuerint, τοῦτον τὸν ἱητρὸν ἰσχύρως ἐπαινέοιμι τὸν σμικρὰ ἀμάρτοντα, τὸ δὲ ἀκριβὲς ὀλιγάκις ἐστὶ κατιδεῖν. Abditis de causis minimè sollicitus, in iis quæ minus difficiles habent explicatus observandis, nulum non studium impendit. Aliorum salute, et aliorum interitu doctior factus, perniciose medicamenta a salutaribus discrevit. Quod proximum vero aut etiam verisimile fuit,

cautè prudenterque amplecti maluit, quàm verum ambitiosè scrutari. Artem quippe suam ita comparatam esse credidit, ut non solum conjecturæ, verum etiam experientiæ, medendi rationes haud semper respondeant. Hinc ut suam sive scientiam, sive felicitatem jactet, tantum abest, ut se officium sæpe suum, minus quàm vellet explevisse, vehementer ei doleat. Altissimè in animo ejus insederat sapientissimum illud Aretæi præceptum, *ξυνομάρτειν τὴν ἰητρείην τῇ ραστώνῃ τῆς φύσεως ἄριστον* eâ tamen lege ut medicus simul meminerit, *ἀγαθὴν διδάσκαλον εἶναι τὴν πείρην*.* Quæ cùm ita sint, ex scriptoribus quos noverim, vix unum esse crediderim, qui ad docendos tum senes, tum juvenes, Heberdeno sit magis idoneus. Horum scilicet temeritati injicienda sunt fræna, illis opus est solatio, quod de spe suâ toties deciderint, aut ignari quid agendum esset, vim naturæ non infirmaverint, et experi-

* De Morb. ac. lib. I. c. 2. lib. II. c. 10.

menta quæ nihil profectura essent, aut ad nocendum valere potuissent, consultò refugerint. Quamdiu medicinæ suus constabit honos, tamdiu Heberdeni fama, cum Hippocratis et Sydenhami nominibus conjuncta, posteris erit carissima. At doctrina ejus et ingenium non tanti æstimandæ sunt, quanti pudor, incorrupta fides, officiosa in homines benevolentia, et in Deo piè et sanctè colendo constantia vel spectatissima.

Mores hominum quos memoravi, nullâ vitiorum labe inquinatos quoties recordor, toties mihi in mentem venit, medicos plerosque omnes, qui patriâ nostrâ floruerint, ab importunâ et immani exterorum quorundam impietate, penitus esse vacuos. Quid de perdifficilibus quibusdam, perque obscuris quæstionibus Theologi, contentionis cupidiores quàm veritatis, ad arbitrium suum statuerint, parum nos sollicitos habet. At summam erga D. O. M. reverentiam oportere cum humani generis amore conjungi, ex

animo profitemur. At Christianæ Religionis puræ et incorruptæ, qualis in vitâ et sermone Auctoris sui elucet, cùm principia tum præcepta ad promovendam et illustrandam virtutem composita esse, nobis persuasum est. At in moribus, unà cum multis et bonis qui a Platone olim fuerunt, *καλοκαγαθίαν* maximè expetendam esse confirmamus. At dum superstitiones aniles et inanem Dei timorem rejicimus atque aspernamur, ægrotantibus si res tulerit, unà cum Hippocrate præcipimus, *τὸ εὐχεσθαι πρέπον, καὶ λίην εἶναι ἀγαθόν.*

Haud me fugit obtrectatores quosdam hodieque posse reperiri, qui plebeculæ nos deridendos propinare velint, et tum demum sibi, si Dîs placet, pietatem mirificè plaudant, cùm decantatum istud maledictum ad aures nostras obganniant, “tres ubi Medici sunt, ibi fuerint duo Athei.” Tautam vero rem ne negligenter agere videamur, religioni nobis est, pati gravissimam illam Coi senis

sententiam, è memoriâ nostrâ elabi, ἡ περὶ θεῶν εἰδησις ἐν νόῳ σοφίῃ ἐμπλεκέται· ἐν γὰρ τοῖσι ἄλλοισι πάθεσι, καὶ ἐν συμπτώμασιν, εὕρίσκεται τὰ πολλὰ πρὸς θεῶν ἐντίμῳς κειμένη ἡ ἱητρικὴ, οἱ δὲ ἱητροὶ θεοῖσι παρακεχωρήκασιν.

Simonidem ferunt, quid et qualis esset Deus, rogatum, unam sibi diem, biduum, quatuor dies, deliberandi causâ postulâsse, et quærenti Hieroni cur ita faceret, respondisse, “quo diutius rem considero, tanto mihi res obscurior videtur.” Nonne optandum est, ut de aliis quibusdam exilibus et spinosis questionibus, eâdem verecundiâ, et iisdem pene verbis, ignorantiam nostram nos homunculi agnoscamus? Hæc cur dicam, tantâ medicorum frequentiâ stipatus, si quis roget, sciat is, velim me respicere ad concertationem, quæ haud ita pridem exorta est, de animæ humanæ naturâ, materiâ utique necne constet? Mentis suæ impetu ad depugnandum paratus, et a doctrinâ haud mediocriter instructus, Chirurgus

ait, Theologus negat. Utri igitur credere debetis? Magnam causæ partem est, ubi in verborum controversiâ positâ esse arbitror, siquidem alii aliter et materiem et spiritum definiunt. Est etiam, ubi res ipsæ ab intelligentiâ et sensibus humanis longè semotæ, non nisi umbras falsæ scientiæ consecrari nos sinunt. Fatendum est tamen, per multa retro sæcula, viros sapientes et bonos, in re quâ de inter mortales nuperrimè agebatur, omnes et industriæ et ingenii sui nervos intendisse. Me autem iudice nimis intelligendo fecerunt, ut ipsi nihil intelligerent, lectoresque quod nescirent plaudere solitos, monstrationibus istis suis, redderent, multò quàm antea fuissent, incertiores. Quibus igitur in deliciis est, res quas caliginosâ nocte presserit Deus, anxie ne dicam audacter rimari, auctor fuerim, ne oleum operamque perdant. Etenim argumenta ab utrâque parte tantopere jactata, nullis innituntur germanæ philosophiæ principiis —nullam ab Anatomiâ fœnerantur lucem—

nullum quo se tueantur testimonii pondus è sacris litteris eliciunt—nullo cum officiis hominum vinculo astringuntur, neque ut exitum ullum reperiant, qui disputatores animosè, et quidem acerbè inter se digladiantes conciliaturus sit, naturæ humanæ imbecilitas pati videtur. In aliis sanè artibus, ut se res habet, controversiæ de quibus loquor minimè inter ea ponendæ sunt, quæ ut Celso visum fuit, “cùm ad Medicinam propriè non pertineant, tamen eam adjuvant excitando artificio ingenium.” His de causis, in medicos idem illud cadit, quod etiam theologos nunquam non meminisse oportet—quæ supra nos fuerint, nihil ad nos pertinere.

Qualis dum viveret, *Warrenus* fuerit, vosmet ipsi probè cognitum habetis. Optimis ille disciplinis jam inde ab adolescentiâ imbutus, et diuturnâ et multiplici experienciâ instructus, eodem planè modo quo Radclivius, æqualium suorum consensu, primas

